

1
6
516






Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.516/a

DEO OPT. MAX.

ET

DIVO MARCO,

SUAS EXERCITATIONES PUBLICAS

DE MORBIS CAPITIS,

VOVET

CAROLUS PATINUS,

EQUES D. MARCI, DOCT. MED. PARIS.

ET IN ARCHI-LYCEO PATAVINO

PRIMARIUS PRACTICÆ EXTR. PROFESSOR.



PATAVII, M.DC.LXXXIX.

Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Caput eſt imago & gloria Dei.

D. Paulus c. X I. ad Corinth.

Κεφαλὴ τὸ τῶν αἰσθητηρίων ἐργαστήριον, τοῦ σώματος ἀκρόπολις, τῶν νοσῶν πηγή.

Caput eſt ſenſuum domicilium, corporis propugnaculum, & morborum fons.

Hippocrates.

DEO OPT. MAX.

E T

DIVO MARCO,

SUAS EXERCITATIONES PUBLICAS DE MORBIS CAPITIS,

V O V E T

CAROLUS PATINUS.



Pecificorum remediorum vires & differentiæ ad morborum profligationem accomodabuntur. Usus eorum abusuſve proludendo declarabitur: Et ſacram artem nec in univerſalibus medicinis nec in multitudine medicamentorum conſiſtere probabitur.

Expoſita pilorum generatione, eorumdem morbis providebitur, nec indignum Medico hoc eſſe auxilium palam fiet; Ut pote qui παρεργὰ præſtare valeat, ornatum conciliare, & beſtiis mederi non dedignetur. Galenus hac arte gratiam Fauſtinæ comparavit, & Archiater factus eſt.

Ophiaſi, Alopeciæ, Caluitio, ſua declarabuntur remedia: Ut fugientes Naturæ vires in producendis capillis Medicus retineat, ſenectutiſque damnum coerceat & tardet. Univerſalibus remediis priùs quam topicis operam tradat, prudenterque attendat τῇ τῶν χυμῶν διαφορᾷ.

Plica Polonica explicabitur, cauſis ſigniſque declaratis, triplici fonte medico ſanabitur, chirurgo pharmaceutico & diætetico. Adducentur argumenta quibus cereuiſiam Polonicam, immanis illius morbi cauſam eſſe philoſophantur ἰατρῶν παῖδες.

Non horribilis minùs quàm turpis eſt morbus pedicularis, tyrannis & philoſophis, ut ajunt, infenſus, in frigidis temperatiſque regionibus rarior. Remediis maturè adhibitis, pravam corporis naturam reparare, φθειρίασινque debellare conabimur.

52

In achorum tineæque caufas inquiretur, quibus declaratis non erit difficile apta opponere remedia. Et hac data occafione, Mercurii feu argenti vivi vires examinabuntur, modus agendi, periculumque quod ab ipfo imprudenter exhibito fubeft.

Dolores Capitis cephalalgicos & hemicranicos, tum effentiales tum fymptomaticos methodicè curabimus. Fernelium Gallorum medicorum decus cum Hofmanno Germanorum Hippocrate conciliabimus. Utriufque theoriam praximque antiquis effe præferendam ut commodiorem & fecuriorem demonftrabimus. De Cephalalgia veternofa ex Hippocrate præclara explicabuntur, quam fequitur κῶμα & κάρωσις.

Specificorum ufus huc adducetur præter generalem medendi methodum, ut quod philofopho feu raciocinanti medico facile eft, ab ignaris plebeifque mentibus non raró ad miraculum ufque extollatur. Plura paucis præftare valet Architectus quàm imperiti inexpertique opifices, multorum faxorum ac lignorum congerie.

Medicos Italos non abhorrere a fanguinis miffione, eaque è variis partibus probabitur: Quamvis calidioris regionis incolas parciores effe conftet, Hifpani in eo fundendo liberaliores funt. Cur Galli in fanandis capitis doloribus liberaliffimi? Auditoribus patefaciemus.

Phrenitidem fanari obvium eft, fanguinem capitis ebullientem educendo, revellendo, & contemperando. Caufam ejus conjunctam aliis in cerebri inflammatione, aliis in meningum reponentibus: Priorem fententiam quæ Hippocratis eft tuebimur, & pofteriorem explicabimus.

Quàm egregiè Th. VVillis Anglus turbatos, excitatos & furentes fpiritus immediatè Phrenitidem efficerè docuit. Ut in modulata chorea quifque fuum fervare debet ordinem, ita confufionem parient fpiritus feditiofi, & alienum quàm fuum locum occupantes; hinc delirium, hinc furor, hinc mors.

Variæ ejus caufæ differentias conftituunt, non una eademque arte fanandas. Signa diagnoftica manuducant Studiofos, hîc quippe nil temerè fufcipiendum. Agitur de rationis domicilio, de nobiliffima hominis functione. Prognofis affectus hujus graviffimi femper fit dubia, & juxta Galenum inftituatur interpretantem Hippocratem eruditè & prudenter: Hæ nobis erunt artes.

Præter multarum venarum fectiones Phrenitidi fanandæ utiles, maximè ad trutinam revocabitur arteriæ temporalis fectio: Circumforaneorum fraudes apertè declarabuntur. Cautiones medicas memorabimus, ac deinde recreandis philofophantium auribus, rectum operandi modum facillimumque exponemus.

Quàm malè agant qui Vomitoria aut Narcotica exhibent, Philiatri cognofcent ex firmiffimis noftris argumentis. Phrenitis nequit hypnoticis compefci, nifi priùs fatisfactum fuerit ardenti intemperiei, multi fanguinis detractione contemperandæ: Difputationem Senerti

&

& VVillisii circa Opium Laudanumque, Auditores componant, & pro viribus, ejusdem judices sunto.

A furore bilis ad pituitæ pigritiam deportabimur, & Lethargo medicinam faciemus, seu morbo seu symptomati. Antiquos medicos optimè philosophatos esse tum in ejus cognitione tum in cura, auribus, ne dicam oculis, subjiciemus. Duretum ut Hippocratis genium prævium sequemur, & Recentiorum observationes laudabimus.

Quàm multæ sunt Lethargi species, tot erunt Medico sanandi modi. Causas contrariis profligabimus, nec hominem ut hominem, sed ut Socratem curabimus. Ι'διοσυγκρασίαν observabimus, & ruentem in pejus morbum curabimus. Explicabitur Hippocrates, Lethargicos servari docens dum fuerint purulenti, juxta doctam Mercurialis interpretationem.

Quid juvent cucurbitulæ, scarificationes, topica, hirudines, & ligaturæ, ut una fidelia multi dealbentur parietes, exponetur. Specifica proponentur & Auditorum patientia curiosis novisque remediis rationabiliter adhibitis recreabitur.

Ad immanem morbum postea progrediemur, quem *ictum sanguinis* Latini, ἀποπληξίαν Græci dicunt. Quî differat a caro, syncope, & epilepsia, quamvis affatim necantibus, declarabitur. In his non rarò decepti fuere, quos potius Doctores quàm doctos nuncupamus.

Controversiam agitabimus magni in re medica momenti, a Fernelio Gorrhæoque medicis Parisiensibus atque τῷ πάνυ Gasp. Hoffmanno susceptam, viris in arte quam profitemur maximis: Eorum argumenta proponemus, relicta Auditoribus judicandi potestate; nostrum enim non est tantas componere lites.

An Apoplexia a sanguine extravasato? An a suffocatis cerebri ventriculis? An a compressa aut subsidente materia? An a spiritibus animalibus coercitis? An ab iisdem suppressis in corpore calloso? An a prohibito sanguinis è cerebro effluxu? An in cerebro, an in cerebello? Opiniones istæ nostris Auditoribus ἀκριβῶς exponentur, verisimilior eligetur.

Apoplexiæ signa ad amussim explicavit Silvius med. Parisiensis, suo modo Silvius delle Boe, med. Belga. Uterque Philiatris commendabitur, ut bona a malis valeant distinguere, & prudenti prognostico sibi viam faciant ad æthera: Hoc opus, hic labor.

Febre solvi Apoplexiam ne temerè credamus: At αὐτὸς ἐφᾶ, verba sunt Hippocratis *qui nec falli nec fallere potuit*: Respondeamus cum Dureto, posteriorem hanc Coacæ prænotionis partem non esse Hippocraticæ veritatis: Non deerunt præstantissima argumenta quæ negationem nostram concilient & cohonestent.

Variando docendi muneri, & sublevando Auditoris labori, hunc manuducemus ad Apoplectici lectulum, & quid queat quid debeat agere indicabimus, ducto a necessariis & prementibus initio, ad non negli-

52

negligenda procedemus; ut percussum ægrotantem ad Salutis templum trahat, sibique gloriam medicam asserat.

De Vomitoriis hîc dicere locus erit: Universo fere Autorum consensu Antimonium damnabitur. Exempla aliquot proferentur ejus martyrum, si pro fide occubuissent. Opinionibus & utilitate regi plerosque, veritate & virtute sapientes, declarabitur: Stultorum infinitus est numerus, a quo declinare debent Medici.

Parum auxilii sperandum esse a sternutatoriis & vulgò dictis Anti-Apoplecticis, recta ratione probabitur. Amuletorum vanitas patefiet, ut nulli philosophanti utilia videri possent. Corroborantia quænam in usum erunt revocanda, investigabitur: Et magnitudinem morbi, medicamentorum multitudine non obrui demonstrabitur.

Præcipuus curationis aries consistat in gravis contumacisque humoris evacuatione: Hinc catharticorum necessitas ad mentem Hippocratis, hinc balnei, ut præcipit Avuicenna. Quid sentiendum de Mithridatica confectione? Hanc enim impensè laudat Fabricius ab Aquapendente, adhibita pro vehiculo vini generosi semuncia.

Causas Vertiginis adeo clarè exposuit VVillisius ut cęcum dixerimus alienas sentientem. Non ita sibi constat in medendi methodo. Φιλιατρὺς sublevabimus in intelligendis Commentariis, ferendoque judicio: Adhibitis exemplis optimę notę, quibus prudentia in medendo sollicitabitur.

Symptomaticas Vertigines referunt multi Medici in praxi utilissimas; Ne porro pro essentialibus curentur. Decepti Medici culpam sequeretur ignominia, nec tamen inde levarentur ęgrotantes. Silvatici controversiæ, Septalii Rhodiique cautiones in hunc usum admoveantur.

Signis prognosticis declaratis, ad curationem progrediemur, generalioribus præsidiis ac deindè particularibus. Utilia remedia proponemus, cęterorum inutilitatem adhibitis argumentis damnabimus: Ut nil desit juniori Medico quod suum decus ęgrotantisque restitutionem efficere queat.

De ἀρτεριοτομία iterum dicemus, si unquam, maximè in hoc casu opportuna. Oxyrrhodinorum vires explorabimus, ne plusquam merentur, illis tribuatur. Cantharidibus venenata facultas medicum eripiet locum. Cœtera topica μετὰ λόγυ adhibebimus.

Cauteriorum expositio unam exercitationem occupabit, tum actualium tum potentialium, ut quomodo evacuent & revellant intelligatur. Lapidis stygii seu infernalis compositionem ac vires explicabimus. Qualia sint Vertigini curandæ propria, ubi & quando applicanda, demonstrabimus. De Vesicatoriis verba faciemus, si quando ob doloris contumaciam desiderentur, & quęnam sit eorum materia abunde dicetur.

Vertiginem sequatur affinis sed longè sęvior morbus, Epilepsia.

Ejus

Ejus ἐπίθετα essentiam ferè declarabunt ; Puerilis enim dicitur , Herculeus, Sacer, maximus, Lunaticus, Comitialis, caducus, convulsivus, S. Joannis, ut cuique denominationi sua non desit ratio , quam pudor esset Medicum ignorare.

Quis sit cerebri locus in Epilepsia maximè affectus, investigabitur . Signa aliis morbis communia atque Epilepsię soli propria , ex ipsis causis explicabuntur . Externę internæque , efficientes & adjuvantes, in medium adducentur , ne Andabatarum more pugnare videamur . Conjunctæ seu immediatè morbum causantes præcipuè quærentur quas hostiliter debellet medicus, Naturæ reparator.

Verum est ne illud Aristotelis problema , *solum ex animalibus hominem Epilepsia tentari* ? Alia enim addit Plinius , alia Hippocrates ; Inde concludere licet Epilepsiæ causas alienas esse à cerebri conformatione : Huic deinde nullum apponeretur remedium . At universâ Medicorum experientiâ patet illam aliquando remediis cedere , sanatu quidem difficilem, at non impossibilem.

Medicum practicum decet continuò ratiocinari : Explicet itaque dum opus fuerit, cur juvenes quàm senes, viri quàm fæminæ Epilepsiâ sæpius tententur . ἐπιδεκτικὸν sit puerilis ætas, cujus ἀπαλλακτικὸν est pubertas, propter splendorem calori nativi , τοῦ θερμοῦ ἔκλαμψιν . Deindè noscat omnibus illis peculiari modo mederi . Ignavum Medicum censebat Asclepiades , nisi tres cuique morbo compositiones paratas haberet.

An culpandus Avicenna docens *Epilepsiam interdum occurrere absque convulsione* ? Cùm ab Antiquis dicatur Convulsionum regina. Culpandi potiùs interpretes, Epilepsiam cum Apoplexia confundentes. Sapienter id exponit P. Salius Diversus , cujus commentarium sæpè voluere Studiosis bene animatis commendamus. Qualis sit convulsio ab inanitione aut a repletione juxta mentem Hippocratis , enodabitur : Id enim in medicina facienda magni momenti est.

Occasione data Epilepsiæ hæreditariæ, quam incurabilem censent Senertus, Heurnius, Hollerius, Capivaccius, Mercurialis, de morbis unâ cum parentum semine ad prolem transmissis differetur , nec à Medico ut conclamatos deseri debere, probabitur Disputabimus

Num patrum in natos transeunt cum semine morbi ?

Morbi gravitas & periculum quantumvis terrorem incutiant, tum ratione essentiæ tum paroxysmi, medicum suscipiant auxilium. Caveamus porrò ab ineptiis, debilem animam arguentibus . Parcamus Plinio docenti quod dicebatur , & sacram artem non exercenti.

Evacuatione maximè opus est ; Qualis illa requiratur, ratione & experientia aperiemus. Providendum ne crassi humores generentur, geniti caput non infestent : Nil temerè committatur, nil negligente omittatur ; & aluo consulamus ut alembico , capiti ut cucurbitulę, ut dicit Fernelius , parti mittenti & parti excipienti.

Nec

Nec Alces ungula, nec cranium humanum, nec peoniæ ſuccus Epilepticos juvant: Ad populum phaleras. Ut ſævum ſic impium eſt puerorum ſanguine uti pro balneo, quod tamen ab Antiquis uſurpatum novimus. Deteſtabiliora cenſeantur quæ Dæmonis vires præ ſe ferunt, à medico Chriſtiano prorſus aliena.

Melancholiam morbum quantùm poterimus, curabimus. Nec enim ſufficit Medicum ſuas partes agere, ſed & ægrotantem & aſſidentes, inquit Dictator; Malancholicus verò vix putat ſe reſtitutum iri, Omnia tuta timet, obſeſſus corpore & animo: Maniacos deinde, & furioſos quos cominus non tutum eſt, eminus debellabimus.

Si per Dei O. M. atque incliti Magiſtratus benignitatem vita frui liceat & animo tranquilliori, hydrophobiam, incubum, & catarrhum explicabimus, oculorumque & aurium vitia, non minori Audientium opinor, jucunditate, quàm utilitate.

LAUS DEO
ET
DIVO MARCO.

